



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt VII. Examine particulari vetus fermentum expurgat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

50 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
vsurpatam & conscriptam, quoad fieri po-  
tuit, sequendam sibi statuit, vnde & plura  
ex ea pro sua quotidiana exercitatione  
compendioso modo exscripsit & adhibuit:  
ijs tamen non contentus, Patris sui spiri-  
tualis (qui erat integræ vir vitæ, præclaræ  
doctrinæ, laudabilis & sanctæ conuersatio-  
nis, R. P. Julius Priscianēsis Societatis IESV,  
antiquum & diuturnum Dilinganæ Aca-  
demix ornamentum & fulcrum, à quo ob  
singularem animi innocentiam VVILHEL-  
MVS hic plurimùm adamabatur) ductu &  
iussu quæ necessaria sibi prætereà videban-  
tur fortiter arripuit, constanter & feruidè  
exercuit, & religiosè in ijs perseueravit; nul-  
lo tædio, nullis hostium quantumuis mole-  
stis vehementibusque machinationibus ab  
ijs se abstrahi vel dimoueri passus.

## C A P V T V I I .

*Examine particulari vetus fermentum  
expurgat.*

**M**ULTI multum sudant, laborant &  
certant in seipsis vincendis, in subiug-  
gandis animi motibus, in eradicandis vitijs,  
in plantandis virtutibus, sed parum profi-  
ciunt: tota nocte laborant, & nihil aut exi-  
guum quid capiunt; quia retia sua non re-  
cto,

cto, debito, cōstanti ordine & modo (quod est in nomine Christi) in piscium capturam relaxant: qui si certam in omnibus rationem & mensuram obseruarent, breuī magnas & præclaras in pietate accessiones sibi obtingere experirentur: qua methodo iusta plurimi sanè breuissimo quasi temporis interuallo ad maximam sanctitatem non sine graui aliorum admiratione euecti fuere. Quibus si Angelicū nostrum Iuuenē VVILHELMVM annuero, rectè me fecisse fatebuntur omnes iusti rerum æstimatores, præsertim illi qui in viuis adhuc superstites eius insignem in sanctitate profectum breui spatio profectum abundè cognouerunt, vel qui ex fide horum relata in hisce scriptis piè legent. Inter reliquas compendiaras vias miro artificio callebat examinis particularis praxin, quo næuos quoscumque animi etiam leuissimos, inprimis illos motus quibus magis infestari se senserat, & vnde reliqui affectus vel ortum ducerent, vel magnam saltem vim liberiùs debacchandi acriusque sæuiendi acciperent, insigni studio, feruenti zelo, indefesso labore eradicare numquam cessauit: non quidem omnes vno prælio persecutus; sic enim vires in plura distrahens, vix quidquam se posse præstare egregij non ignorarat, sed vnuni

52 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
ex alio aggressus, & mortificationis gladio  
succidens, breuî eò deuenit, vt summâ  
menti malaciâ procreatâ tranquillum om-  
nia possiderent, neque vllus turbo vel pro-  
cella vsquam quietem interturbare aude-  
rent; vel si caput surrigere conarentur, quod  
humanum est, mox velut potione medi-  
ca consopita, vel veriùs iugulata, subside-  
rent, ipsùmque indemnem ac victorem  
relinquerent.

### C A P V T V I I I .

*Examine particulari nouum homi-  
nem exstruit.*

**E**ADEM compendiosa sagacitate in ve-  
nandis virtutibus & vero animæ deco-  
re utebatur; vt non minùs virtutes, præfer-  
tim quibus magis indigere sibi visus fuit,  
aut quas magis ad ornatû facere perspexit,  
vt & eas quæ animum plus inflammare,  
Deo que intimiùs coniungere solerent, hac  
ratione comparauerit, quàm mala extirpa-  
uerit. Sed vt rem meliùs quisque percipiat,  
lubet ab eo descriptum modum, & exem-  
plis ab eo vsurpatis illustratum, adnectere.  
Hoc examen propriè spectat & valet ad  
vnum certumque vitium breui tempore  
extirpandum, verbi gratiâ Cholere; & bo-  
num